IIa pars de quibusdam incidentibus.

Eodem anno rex Philippus Parisius in circuitu circumcepit, et licet de iure scripto propter publicum regni commodum in alieno fundo possit muros erigere,[a] fossata facere, tamen vir perfectus equitatem damna que homines incurrebant de fisco proprio compensabat. // Rex quidam Saracenus nomine Memilinus, id est rex regum, collecto exercitu paganorum infinito fines Hyspanie aggressus, in superbia magna contra christianos loquens obtulit eis bellum, qui pugnantes contra eum in fide et nomine Domini Christi vicerunt illum, ubi fuerunt reges fortes de regno Francorum et miles probatissimus rex Aragonum qui etiam in signum victorie Romam misit lanceam et vexillum Memilini. Que in eminenti loco in ecclesia sancti Petri stare consueverunt. // Capto quodam hereticorum castro data optione multi se mutuo cohortantes rogum intrant, comburi malentes quam deserere pravam sectam. // MCCXII°. Reginaldus comes Bononie diruit fortalitium quod Belvacensis episcopus in pago Belvacensi erexerat. Episcopus vero fortalitium quod ille similiter erexerat diruit. Propter[b] hoc igitur et quia castrum inexpugnabile construxerat in confinio Britannie minoris, regi factus suspectus, et quia in regni preiudicium nuntios mittebat ad Othonem et Iohannem regem Anglie, ~~quem papa~~ rex vi eius comitatum occupavit. Ille autem excommunicatus ad excommunicatos se transtulit, Othonem scilicet et Iohannem regem Anglie, quem papa excommunicaverat, quod Iohannem sancte opinionis virum a se consecratum in Cantuariensem non permittebat.

a) eligere c.

ffexēs

b) igitur item h. l. add., sed del.

Plan. [illegible] britanie [illegible]

[illegible]

cantuar̄